OCTAUII FERRARII PANEGYRICUS LUDOUICO 14. FRANCORUM REGI DICTUS ANNO 1666

Ottavio Ferrari

1042 A



1042.4

OCTAVII FERRARII

PANEGYRICVS LVDOVICO XIV. FRANCORVM REGI. DICTVS

ANNO. M DC. LXVI.

VENETIIS, M. DC. LXVI.

Typis Combi, & La Noù.

SVPERIORVM PERMISSV, AC PRIVILEGIO.

PANEGYRICVS LVDOVICO XIV. FRANCORVM REGI *DICTVS.*

LVDOVICE victoris gentium, terrarumque domitoris populi regnator maxime, idemque extra comparationis aleam impertantium optime humani generis amor, Christianæ rei titulus, & columen, Numen auditum longè mihi. Laudum tuarum quibus vltimus Orbis strepit, non minima pars est, quod te ab ignotis etiam, atque obscuris hominibus laudari permittis.

Væsana Pellæi iuuenis edictio, ne quis eum præter Apellem pingeret, aut ære duceret præ-

ter Lysippum : idem tamen in animi, morumque pictura, Chærili vatis incultos, ac male natos versus non aspernatus. Grauior Augusti fastus, componi aliquid de se, nisi seriò, & a summis ingeniis vetantis, nomenque suum commissionibus obsolefieri indignantis. Cum tam laudatio publica sit, quam laus, verior quo simplicior, atque hoc ipso ornata, quod ornamenta contempsit.

Quanquam vel a præstantissimis res tuas celebrari pene sit nefas. Nam cum humanæ sortis fastigium excesseris, hoc habes commune cum Superis, quos potestate refers, vt felix, beatusque dici possis, sine maiestatis iniuria laudari nequeas. Veneratione, & cultu religio constat: laus hominum est, humanæque conditionis merces, & solatium. Superos tamen, ac Reges gaudere cum laudantur ab hominibus, credi, interest viro.

Tu non tam gaudes, quam pateris. Nam et si nomen tuum vndique lætis vocibus tolli ad sidera, graue sit moderationi tuæ, qui laudanda quotidie facere, quam laudibus ferri præoptas; libertatis tamen sub optimo Principe argumentum, & fructus est, ad Regem laudandum nec cogi quenquam, nec vetari. Coacta laudatio conuicium est, & diuersa arguens exprobratio: vetita, aut delibata, nimiæ deliciæ, & superba modestia.

Quan-

Quanquam in tanta amplitudine, ac maiestate, ne vetare quidem id potes: & cum maximus, & florentissimi Imperij, sed magis tui potens sis, animus, & linguis imperare haud vales: votaque populorum, venerantium officia effusas passim gratulationes deprecari magis, quam prohibere tibi licet: quin præsenti decora ingerant, teque tibi reddant, & gaudij impatientia inconditis vocibus circumsonent, pudoremque tuum onerent, ne dicam obruant. Felicitas omnis res garula, ac prope amens est, furque ostentatrix, dum immodicè gestit, offitijs obtundit, quos colit.

Inuito tibi laudes grateſque audiendæ sunt, quas non Senatus modo, ac proceres, totquè fortissimi exercitus certatim effundunt: sed quibus inconditum vulgus, cuneique concentu sonantes, turbaque mulierum ac puerorum adstrepit: eo sincerius, quod plebs assentari non didicit, lasciua eadem & probris ingeniosè procax, quotiesque imperia grauatur, tam fortiter odisse, quam intemperanter amare solita.

Qui ergo omnibus beneficium, ac salutem præstat, laudetur ab omnibus nec venerantium delectus sit, aut obsequij ordo, vbi non distinguitur affectus. non primæ & secundæ admissionis contumelioſa humanitas, vbi Princeps omnibus patet, & in æquo viuit Imperium. Immo tam vastæ imperij fines ista libertas transcen-

ſcendat, Regemque laudari etiam ab iis, qui non regnantur, tam vacuum ſit, quam tutum. Tu quidem qui totum Orbem nominis tui fama & rerum geſtarum gloria imuenis impleuiſti, eum laudum tuarum velut Theatrum habes, nec cuiquam mortalium hanc gloriam inuides, vt te familiarius admiretur, & quos naſcendi ſors tibi ſacramento non obſtrinxit, votis ac veneratione nexos habes, vt te tanquam proprium ament, non metuant, vt alienum.

Me quoque in libera ciuitate omnium, quibus Iupiter illucet ſplendidiſſima, quæq; gloriæ tuæ impenſius fauet, Muſarum ſacris operantem, & res huius ætui prodere poſteris aggreſſum, noui ſideris exortus attonitum rapuit, vixque oculos, per tot miracula laſſos attollere audentem, decidus inuſitatæ munificentiæ radijs erexit, ac fouit, ſpemque fecit hoſpiti, templa trepide ſubeunti, rudeque aliquid, & inconditum meditanti, paratam veniam. Nam ſicut non minus litat, qui paucas thuris glebas crepitantibus focis adnumerat, quàm qui pecudum cruore altaria inundat: ita ex æquo Numen propitiat, qui moduſatum carmen pulmonibus infert, quique nuda prece, atque indocili numero, Deum eſſe probat, qui quocunque modo coli non indignatur.

Te quidem in celſiſſimo rerum humanarum faſtigio Superi poſuerunt: gentiſque illius regimen

gimen, ac Sceptra commodarunt, quæ gentes omnes bellica laude superauit, quæq; seculis omnibus victricia armæ circumferens, terrarum orbem, non tam victorijs & triumphis peragrauit, quam iuuentutis examine, colonijs repleuit; vt iustius quam olim Romana propago, Mundi populus appellari possit. A qua innumeræ Vrbes, quæ sidus currit vtrumque conditæ, ac propagatę, sicut inter alias vrbes originis gloria caput efferunt, ita Galliæ matemę venerationis nomen profuso pietatis cultu iudiderunt.

Curo præcipuè Orbis ipsius regia, ac penates Italia frequentissimis vrbibus consita, & exculta, Latij genium Gallica indole miscuerit. Non Cisalpina modo regione per Insubres, ac Boios, Senonesq; & Cenomanos genitricis nomen, ac decus incomparabile tuente: sed ipsa Venetia, quæ Italiæ Italia est, non ab Enetis, ac Paphlagonibus obtusa, ac seruili gente, sed a Venetis Aremoricis rei maritimæ gloria præstantibus, natales ambitiosè repetente.

Sicut Italię, Orbisque domina futura, gentiumque Dea, illa inclyta Roma, ab ijsdem obsessa, captaque est, & super Iliacam fabulam prope excisa: nisi ad vocem anseris accurrentibus Dijs, non tam seruatum quam auro redemptum Capitolium fuisset. Tanto quidem in posterum terrore, & consternatione, vt Romani

nam scriptores palam professi sint, Romanos cum cæteris gentibus de gloria, atque imperio, cum Gallis de salute certasse, & vtri essent, non vtri imperarent, bella gessisse. Alpibus Italiam non sine Numine Diuùm a natura munitam; Nam si ille aditus Gallis patuisset, nunquam vrbem summo imperio domicilium, ac sedem fuisse potituram. Ita quoties inde classicum concinuisset, Italiam, ipsaque Alpium iuga insolitis motibus contremuisse, vt nulla in delectu vacationis venia esset, nec sexagenarijs, nec Sacerdotibus ipsis militiæ immunitas concederetur.

Ac ne qua pars terrarum Gallicis trophæis, ac originis gloria vacaret, indidem Boij, siue Baioarij in media Germania latè sedes posuerunt, tum cum ipso teste Cæsare, Galli Germanos virtute superarent. Vt voluentibus annis ex eadem regione Franci, reddita vice Gallijs infusi, atque insiti, cum nomine, maximum secundùm opes Deorum Imperium constituerent, Sicuti in Hispania, domitis Iberis, ex victis, & victoribus Celtiberorum genus constatum est. Qui Hispanorum omnium fortissimi, Numantina obsidione, ac viginti annorum bello triumphati, quam iugum ferre docti.

In vniuersum Gallos exundante multitudine cum eos non caperent terræ, quæ genuerant, trecenta hominum millia ad sedes nouas quærendas emisisse, Græci, ac Latini auctores prodiderunt,

runt. Quorum pars in Italia consedent, penès quos, vt diximus, captæ atque incensæ Vrbis, siue laus, siue inuidia fuit. Cum pars altera Pannoniam occupasset, dimissis agminibus, alios Græciam, alios Macedoniam, cuncta ferro proterentes petiisse. Tantumque Gallici nominis terrorem gentibus illatum, vt etiam Reges non lacessiti, pacem ingenti summa redimerent, Ptolomæus congredi ausus, cum toto exercitu cæsus, vetere Macedonum, & subacti Orientis gloria spoliatus sit.

Mox Asiam immensa multitudine repletam, vt neque Reges Orientis sine mercenario Gallorum exercitu vlla bella gesserunt: neque bello pulsi ad alios quàm Gallos confugirent. Tam terribili fama, tantaque armorum felicitate, vt aliter neque maiestatem suam tutam, neque amissam recuperare se posse, sine Gallorum virtute arbitrarentur. Ita in auxilium a Rege Bithyniæ vocatos, regnum cum eo parta victoria dimissum, celebre Gallogræciæ nomen genti inditum. Qui sicut & Galatæ, totius Græciæ, atque Asiæ bellicosissimi, inter imbelles & luxu fluentes, neque cœli, solique delicijs fracti, atque emolliti, aurum robur indomitum, ac pristinam ferociam perpetuo retinuerunt.

Domita quidem est, alternante vices fortuna a Romanis Gallia, quodque ingens victis solatium, a Cæsare subacta, sed non nisi per partes, & quod

genti fatale semper fuit, intestinis discordijs concussa & lacera, vel cuilibet duci facilis præda. Ita tamen vt prope libertatem staret: cum Gallorum alij socij, alij fratres Quiritum, non tantùm Troiana origine sint appellati: magna pars Romanarum virium, inuicto equitatus robore, ingens accessio, & victoriarum omnium instrumentum facti. & quod de solis Bataus ille prædicauit, in vsum præliorum sepositi, ac velut tela, atque arma bellis, quibus Orbis domitus est, reseruati.

Donec Romana re collapsa, atque a barbaris, tot iniuriarum pœnas experentibus misere conuulsa, ac proculcata, Galli in spem libertatis arrecti, veterem fortunam, ac vires respicerent, suique iuris facti, maximum omnium, ac potentissimum imperium, ante mille, ac ducentos annos sub Regibus constituerent. Cum reliqua per Europam regna eodem barbarorum iugo, atque immanissima Saracenorum seruitute pressa gemerent, aut sero admodum, ac lente, parua, atque obscura initia eluctarentur: vt nullum cum Gallico, aut originis vetustate, aut fortunæ amplitudine, aut diuturnitate imperij, aut rerum gestarum gloria in certamen descendere possit. Cum quędam hodie regna, olim Francorum prouinciæ, & Gallicæ clientelæ exigua pars fuerint.

Sed inuictę gentis rectores, ac dominos, ma-

iores

iores tuos, a magnitudine Imperij, & victoriarum numero, ac modo licet æstimare. Nam si tempora ac mundi fastos euoluamus, satis constat, non Italiam modo, sed Europam fere omnem eorum virtute ac felicitate immane seruitium depulisse, & ab alio Saracenorum colluuiem, ac pestem excisam penitus & deletam: ab alio Longobardos tandiù Italiæ incubantes, & Pontificiæ maiestatis hostes infensissimos, non detractos modo & expulsos, sed magnam Italiæ partem, victoriæ præmium Sacrorum principi adiudicatam: vniuersam ab Orientis Imperatoribus destitutam, ac funali Principum æmulatione conuulsam, ac penè oppressam, nusquam alibi quàm in Gallica virtute perfugium habuisse. Vt demum Regum omnium maximus, ac fortissimus, in cuius fortunam, & exemplum certaminibus auspicijs Ludouice assurgis summum in Occidente Imperium constitueret.

Sed ne Augusta stirps Galliæ tantùm moderatores, aut Imperio Cæsares dedisse videatur: quid ex hoc veluti Regum seminario, Siciliæ, & Neapoli petita sceptra commemorem? Quid magnæ Brittaniæ Principes commodatos referam? ac per Normannos, & Plantagenetas tercentum ibidem annos regnatum? Auocat enim nos, ac stupore percellit Gallicæ virtutis operum maximum, bellum Sacrum, & susceptæ toties in Palæstinam expeditiones: Christi Do-

mini natale solum a barbaris assertum, erectaque Crucis trophæa tot heroum sanguine rorantia: Ludouici clarius cœlum factum suprema meditatio, spesque Christiani Orbis cum tanto nomine tibi ex asse legata.

Inde Hierosolymis, Cyproque & Græciæ petiti Reges: vt demum socijs Venetorum armis, capta Byzantio, ipsaque Orientis regia in potestatem redacta, nihil in Orbe toto, Gallorum virtuti impenetrabile, atque inaccessum esse palam fieret. Qui si quam vincere, tam victoria vti didicissent, iam vobis vltima Thule seruiret, & nihil non Gallicum errantes Stellæ tuerentur.

Hæc tibi clarior sanctiorque origo est, quam si a Ioue stirpis exordium peteres, & in nobilitatis partem crimen Deorum vocares. Sed quod vno Ioue minus est, maternum tibi genus, Augustaque coniux è domo Austriaca, qua sospite propitia terris Numina credimus, quamque dignè æstimamus, cum inæstimabilem dicimus. Quæ Orbem totum victorijs emensa, & vtrumque Solis cubile Imperio complexa, tot regum, Cæsarumque genitrix, Catholici nominis decus & tutela, inconcussa populorum fide, quam tot exercituum robore firmius fulta, postquam Gallico sanguini immixta est, impotentem barbarorum dominatum, & quicquid vsquam animorum, ac vitium est, obterit maiestate sua.

Quam

Quam prouidentia prodigiosis fortunæ incrementis in id fastigium extulit, vt cuius amplitudini cognitu Orbis fines angusti essent, eiusdem auspicijs, ac virtute nouum Orbem gentibus aperiret. Vnde immensa victoriæ pretia, ipsiusque naturæ mundus matronalis, ac illibatæ Indorum gazę, non telluris modò visceribus abstrusæ, aut profundo pelagi demersæ, sed aurum, ibi vilissima rerum pars, ipsa soli superficie, & micantibus glebis irradians, aut montium cacuminibus germinans, aut fluuiorum lapsu flauentes arenas oblimans, in nostrum Orbem effunderet, atque inops seculum locupletaret.

Vt pro diuite metallorum vena inęstimabili mercede Hispani victis salutem rependerent, atque illata Euangelij face, tot mortalium millia ab interitu vindicarent, nouumque Orbem, non tam detegerent, quàm conderent. Diuinitus ad hoc opus destinati, quod non vires modò, sed humanæ mentis captum longè exsuperat. Quæ enim alia gens oblita patriæ, ac necessitudinum, nouissimo, ac sine finibus Oceano, in incertum fortunæ euentum, sed certam mortem vela dare ausa esset, & per inhospita litora, atque intentata vada, per monstra, ac naufragia, opis Superis ipsis inuidiosum aggredi, immensamque barbariem exigua manu subigere potuisset, cultumque & humanitatem inducere, nisi quæ dono diuum inuicto animi

mi robore, corporeque ad laborem, inediæ, sitis, algoris tolerantiam obdurato, tam vincere sciret, quàm victoriam ferre, gentesque subactas in officio continere, quæque mansuetudine alliceret, iustitia refoueret, ipsque artibus quibus imperium comparauerat, partum conseruaret?

Nulli igitur mirum videri debet, vtriusque Augusti sanguinis mixtura, illud tibi regiæ indolis temperamentum obuenisse, vt gentis vtriusque virtutes habeas, nullis vitijs mendosa natura sit. Cum Gallica ferocia, vigorque indomitus, & illa igne quodam volucris celeritas, Hispana grauitate, consilij pondere, ac prouidæ cunctationis maturitate libretur. Absit modò fatalis æmulatio, tibi & vxoris fratri, bonæ pacis studium mentemque propositi tenacem Superi duint, vestros motus cuncta terrarum sequentur: partiri Orbem tanquam priuatum patrimonium poteritis, cui integro vterque vestrum par est.

Ergo tot Cæsarum, Regumque, tot etiam diuorum sanguis, quibus imaginibus premaris, quantis trophęis exciteris, vides. Sed è proximo tibi parens, atque auus incumbit. Rex ille omnis memoriæ clarissimus, illud belli fulmen, ille summus Imperator antiquis ducibus rerum gestarum fulgore aut par, aut superior. Cui viuenti Magni cognomen, cum Orbis consensus, atque hostium confessio deferret; titulis

tamen

tamen omnibus augustiorem professus est. Quem fortunæ ludus impotens, & pertinax auito regno spoliauit, vt regno dignum ostenderet, quod ille totum virtuti suæ deberet, ac de ipsa fortuna prius, quàm de hostibus triumpharet, plusque a gladio, & iratis fatis impetraret, quam a fauentibus sperare vnquam potuisset.

In quem prope extorrem, atque inopem, cum ingrati ciues, professi, aut occulti hostes, non immensum modò copiarum robur, sed ipsos Superos, & cœli armamentaria, atque Acherunta concitassent, nec tam ferro, quàm auro, & quod vtroque potentius est, religionis obtentu pugnarent, nunquam de gradu deijcere, aut solida mente quatere potuerunt. Quin ille perpetuo tam Imperatoris, quàm militis officio fungens, ingentisq; animæ vsque ad reprehensionem prodigus, in prima acie semper dimicans, & in contemnenda morte periculosam Galliæ sapientiam sectatus, per partes, & veluti de singulis auiti soli glebis disputans, exigua manu innumerabiles copias funderet, ac profligaret, & per ingentes cædis aceruos ad regnum sibi viam ferro patefaceret. Interdum solo aspectu, atque oculorum coniectu, nominisq; fama armatas acies in fugam verteret, ac munitissimas arces ad deditionem compelleret, atque inter arma senex factus plures prope victorias, quam menses numeraret.

Vt

Vt demum Galliam tot malis fessam, atque intermecinis odijs confectam, suoque & hostium sanguine vndantem, vel inuitam ad sanam mentem cogeret, iamque exitio proximam, incredibili animi magnitudine, inaudita clementia, insperata pace resoueret, atque in antiquum splendorem, ac dignitatem, quod nemo fieri potuisse credebat, restitueret.

Inde summus armorum, pacisque arbiter, pacem petentibus hostibus non abnuit, nutum eius spectantibus vniuersis, cunctisque attonitis, ac pauore defixis, extremo Orbis leges daturus erat, nisi bellorum ciuilium profanatione Regum capita licitante parricidalis dextra, domestico latrocinio, cum rebus humanis exemptum, Superum concilio adscripsisset. Cùm scilicet fœderatis principibus opem laturus, tribus maximis exercitibus succinctus, qui Caroli rerum gestarum fulgorem, æquauerat, etiam fastigium æquaturus crederetur.

Atra dies, omnique æuo execranda, Galliæ suprema fuisset, nisi caligante mundo nouum sidus affulsisset Ludouicus, patre haud quaquam inferior, daturus progeniem generosiorem. Cui genitor multa absoluenda, ingentemque laudis materiem, ac segetem, atque immortalium operum summum consumandum reliquit. Hoc est violatæ religioni nefas, ac perturbatorum sacrorum nunquam satis repressam licen-

licentiam, & tum maximè quassatæ Reipublicæ funeribus, exultantem impietatem coercendam, atque in vltimas terras amandandam.

Sed quo spectatior virtus foret, id ab adolescente, commotis, ac prope perditis rebus negotium susceptum est, quod senex, tot bellorum superstes, in ipsa pace, ne tentate quidem ausus fuerat. Nam si rectè calculum ponamus, quamuis in sceptra natus, & tanti Regis filius esset, religionis rei imperiosissimæ dissidio, conmulsa, atque in partes & factiones disti acta rep. & nefariorum dogmatum peste vbique grassante, validissimis Vrbibus contumaci perfidia infestis, cum magna pars procerum eadem labe infecti, nouas acies munitarentur, & qua ciues, qua hostes ad patriæ incendium conciret, reliqui puerile rudimentum, ac muliebre imperium aspernarentur, precarium regnum Ludouico obuenerat.

Accedebat matris optima quidem fides, sed consilium prope exitiale. Cum ad conciliandas principum mentes aurum profunderet, quod in supplicium erogari satius fuerat: torque annorum parsimonia, cumulatas a marito opes, peccandi inuitamenta, noxia largitione dispergens, hæc veluti illecebra, inexplebiles cupiditates irritaret, & pro carnifice, ac laqueo perfidiam premijs accenderet. Quæ vbi malos sequuntur,

haud facile quisquam gratuito bonus est.

Fidem superat potuisse adolescentulum, non præsentia modò atque impendentia mala, ac triste Galliæ fatum eluctari: seque ac regnum ab impotenti famulorum dominatu maudita virtute, & felicitate in libertatem asserere. Nam ab eo, quod erat maximum, incipiens, latius serpentem defectionis tabem, ferro, & igne expugnare, emisque fomentum, ac pabulum, doctrinam Deos, ac Reges spernentem excindere, fibras euellere, semina elidere, insigni quadam, ac prope diuina animi magnitudine, & constantia adortus est.

Ac post tot prælia, tot Vrbium obsidia, in quibus & dux, & miles, & castrorum metator, quamuis tenuissima valetudine nobile caput quotidiè periculis obiectans, quod illi paternum fuit, belluam illam in pœnas fœcundam, ac morte renascens malum, dura patientia contudit, ac vinci posse docuit. Vt demum tem Magno parenti non tentatam modò, sed ne speratam quidem aggrederetur, ac fatali dissidio magnum diem imponeret.

Ergo Rupellam affixam scopulis, vallatam Oceano, deploratæ amentiæ sedem, ac sacrilegæ co ntumaciæ receptaculum, scelerum omnium nidum, infanda prædonum cubilia, furiarum septa, monstrorũ stabula, verius dicam, Acheruntis regnum, atque insulares Inferos, contra Neptu-

ni funditus conuulſi rabiem, ac ventorum inſaniam, iactis in profundum molibus, & contabulato mari, aduersùs coniuratæ toto Orbe impietatis extremos conatus, ſupra Tyriæ obſidionis fidem, maximis poſt hominum memoriam operibus, ſed magis inuicti pectoris conſtantia Superis ipſis, ad grande ſpectaculum eſtulſis, ſubegit, excidit, euertit.

Verum enim verò plus illa expugnatione, quam creditur actum eſt. Non modò enim ſublatum omne contumaciæ perfugium, ac vecordiæ aſylum: aditus exteris intercluſus, omniſque ſpes in poſterum interciſa: reddiri templis poſt limmio Superi, Superis aræ reſtitutæ: Francorum nomini inuſta infamiæ macula abſterſa, gentiſque pudor abſolutus, & bona fide Gallia olim diutſa in partes tres, Deo, ac Regi aſſerta; Verùm eadem opera, Italiæ laboranti pax, & libertas donata eſt. Cum per id tempus exterorum irruptione, ad Galliæ clientem iuita dominatione atcendum, ſæuiſſimo bello concuſſa, & quæ bellum comitantur, fame, ac peſtilentia, perpopulata, exhauſta, & ad extremum redacta, tam prope a ſeruitio eſſet, quam olim ab Imperio. Ludouicus recentis victoriæ ſudore adhuc madens, ac ſpolijs onuſtus opimis, nondum abſterſo puluere, florentes ære cateruas ducens, in Alpium iugis, ſua, antique niue hiemantibus viſus, non vt olim An-

nibal nimbos, ac procellas rei Romanæ exitio glomerans, sed serena facie turbines, ac tempestates momento diffauit, supremam libertati noctem discussit, vrbemque fatale Europę bustum, obsessam, solo aspectu asserut, nec sibi vincens, prope iniectas Latio compedes dissoluit.

Talis, ac tantus, leuiter perstricta, ac delibata actorum summa, auus, parensque fuit. Tu verò nescio, an dicam, quod me auus, parensque in ęternos Orbes collecti dicere cupiunt, tuus pudor, ac pietas vetat, vtroque melior, vtroque felicior. Nam si olim Crœsus ita Cambysi ingeniosè assentatus est, vt quęrenti, num ad Cyri patris gloriam accessisset, diceret: parenti optandum minimè sibi videri, quod nondum ipsi filius esset, qualem illum Cyrus reliquisset: tu vel hoc vno argumento patrem vicisti, quod iam filio auctus es, quem tecum de laude certaturum non iam publica expectatio sed voti fiducia est, quæ votis tuis minime inuidiosis blanditur, vt comparatus olim cum filio, vincaris.

Sed vt illuc prætuortamur, ipse natalis tuus Galliæ, atque Orbi salutaris, Regni Pasilia, diu optatus, diu expetitus, flagrantissimis precibus, inter lachrimas, & suspiria impetratus, ac prope conuicijs extortus, quantum venerationis, quantum prodigiorum habet? Humani generis

vota

vota tandiu ſuſpenſa, ac prope deplorata, longæ moræ tormentum, irritæ ſpei cruciatus, pulſatum querelis Cœlum, ac pene inuidia Superis facta.

Vt ſi fas eſt, diuina humanis modis aptare, æternus ille rerum opifex, qui omnia momento creauit, deliberaſſe, ac de induſtria cunctatus eſſe videatur, vt diutius opere lætaretur, cuius adepti effuſioi gratulatio, quanto impatientius efflagitatum effet. Non fortuito ſatu, aut vulgari conceptu, ſed lentæ ſpei molimine maxima quæque producuntur: nec temere fit, quod conſumari, niſi à Deo poteſt: futurum naturæ miraculum, ſine miraculo formari non poterat.

Fruſtra iam Græca vanitas iactet in Hercule proſeminando, continuatum expuncto die binoctium, cum viginti anni in ortum tuum impenſi ſint, ac tardi nominis moram largior vſura compenſet. Tu ſerus ad Superos recedas, qui tarde, ac pene ſero terris commodatus es. Itaque non templa modo ſed priuatæ domus votis vbique ſtrepunt, pro ſalute tua ſuſceptis: nemo enim te incolumi de ſua ſollicitus eſt. Votorum ſumma, & formula: verba nullo præeunte concepta. Pro Rege noſtro à Deo dato. Et quamuis munus ſuum fruſtra Deo commendari videatur, nunquam ſollicitæ curæ ſatisfactum pietas putat. Et cæteros quidem terrarum rectores diuinitus dari, ſceptraque, & diademata Superum

munus

munus esse, credi ex vsu vitæ est. Nullus tamen perinde ac tu, Regum optime, altiori prouidentiæ destinatione, & certioribus publicæ salutis iudicijs, ac veluti adhibitus in consilium Superis, ostentatus primo, de in moræ pretio dilatus, demum quasi machina demissus, ac rebus humanis impositus est. Et dubitabit quisquam quin à Deo datus sis, qui pietate, ac iustitia, & perpetuo iuuandi mortales studio proximè ad Deum accedis? Ad cuius aures pene priusquam ad Deum vota precesque homines referunt. Tanto gratius Dei beneficium, ac munus, quantò reuerentius Imperium Deo submittis, & te infra hominem putas.

Sicut in Augustæ parentis sinu & complexu, coelestibus monitis, & præstantissimorum virorum institutione effectum est, vt tanto cæteris Regibus præstares, quanto illi reliquis mortalibus antecellunt. Nam cum in ipso vitæ limine, auctore vitæ orbatus esses, illico spei tuæ vir ille admotus est, si modo eum virum dicere fas, quem rerum natura edidisse videtur, vt ostenderet, quid summa virtus in summa fortuna efficere posset.

In quem publicæ salutis adoptiuum, caritate, ac fide supra ciues, ingenio, ac rerum vsu supra omnes homines, diuus parens, cum astra peteret, Gallicum Coelum reclinauit, vt te futurum terrarum rectorem, dum adolescis, rege-

ret

ret & custodiret, qui tot millia mortalium regenda à Deo, & custodienda acceperas.

Cuius contubernio iustius, quam Achilles Phœnicis, aut semiferi in scrupea Schola doctoris disciplina gloriari posses. Qui rebus aduersis admirabilior quàm secundis, plus ab irata fortuna extorqueret, quam alij a blandiente sperare possent. Quique fatali rerum omnium perturbatione, ac fœdissima tempestate, quæ prope suprema reip. fuit, iactatus, ac pene obrutus, nunquam clauum amisit, tibique incolume Imperium, te Imperio asseruit, nec tam Regem instituit, quàm fecit.

Quamuis non multum illi laborandum fuit, vt te talem redderet: nam quod ceteri docentur tu natus eras. Plus cœlo quàm naturæ, atque institutioni ista indoles debet: Si tamen indoles dici potest, vbi inter rudimenta & operis consummationem nihil medium est. Nam puer Regem præstitisti, florem maturitas præcepit, nascendi tarditatem festinatus adultæ virtutis incrementis compensasti. Tarde crescunt quæ in turbam nascuntur: magnæ animæ statum fatis sufficiunt, nec se expectari iubet, quod repræsentari publicæ salutis ac felicitatis interest. Ceterum parens, atque auus aut iusta, aut vergente ætate eas res gesserunt, quę non solùm nostris sed omnium gentium literis, ac linguis celebrabuntur. Tu vix teritis ostensus, rudibus annis

ea confeciſti, quę a grandęuo patrata vix fidem inueniat. Iis terroribus, magnęque fortunę periculis puerilia exercita eſt; in te prope vagientem, ſi alias vnquam miſera fortuna reip. atque importuna regni calamitas incurrit, vt Deus immortalis videatur, dum te regno aptat, hoc experimento, indolem tuam, ac prȩcocem ſapientiam explorare voluiſſe, quantuſque futurus eſſes oſtendere, pene antequam eſſes. Armorum ſonitus, Corybantiaque ęra infantię crepundia fuerunt: truces litus, & claſſici cantus pro nęnia & vt ille Ioue ſatus apud Syracuſium ſenem, clypeo cunarum vicem incubaſti.

Vix cum tuus ac patrię parens ad Superos exceſſĕrat, cum ſęuire fortuna violentius cępit, diſcordiaque, & impietas, eius diuino conſilio, ac fortitudine compreſſa, domitis frenis debacchari, nouiſque iarum fluctibus intumeſcens, omnia diuina, atque humana permiſcere, vexare, euertere aggreſſa eſt. Herculique in cunis vagienti, non bini angues, ſed Lernęa peſtis, in pœnas fertilis, & damnis ditior immiſſa eſt.

Nec vulgus modò inſanum, & ſemper ſupremis capitibus infenſa maligna plebecula, quę diſcordijs, ac ſanguine reip. ſaginatur, in rabiem prolapſa eſt: ſed ſpecie recti, iura miſcens curia, iuſtique ac ſancti prȩceptor Senatus, parteſque in bella rogatę, publici boni obtentu, quod ſeditionum omnium fatale velamen, ex

regiæ

regiæ potestatis iniuria, incrementa captans, inter muliebrem tutelam, ac puerile rudimentum, sibi rerum summam arrogans; & quasi non satis gratuiti furoris in populo esset, furentibus faces subdere, & a priuatis iudicijs, & controuersijs, in ipsum maiestatis sacrarium irrumpere, & per cruenta Funditorum, inter triarios pugnantium, membra, regiæ fortunæ illudere, atque ima summis vertere.

Quis non frontem de rebus perijsse credat, cum ministerij pars præcipua, mœrentibus bonis, fas esse putaret regijs edictis protenùs obniti, iussaque ad censuram superbe vocare, seruatri Imperij arcana, legumque custodes, Hero leges præscribere, audere, sanctius consilium, regni mentem veluti conuellere, amicorum fidissimos, puerituæ rectores, rei Gallicę præsules, & consentes, tot victoriarum ministros, quibus se publica salus debebat, a latere diripere, insectari, proscribere, ac Domini affectibus imperare.

Proceres super vetera certamina, aé fatale rerum nouarum studium potentiæ, opumeque auidi, nulla largitione exsaturati, nullis præmijs atque honoribus expleta cupidine, propter implicationem rei familiaris, malle communi incendio quam suo deflagrare. Præterea luoris stimulis agitati, ac peregrinæ virtuti infensi cetera discordes, ad eam secum cuncta in extimum tracturam, exturbandam consentire, eiusque insectatione

Regnum latus petere. Non secus, ac olim Homerici Dij nefaria conspiratione Iouem aggressi, parenti, ac Regi nectere insidias, vincla minari, impiasque manus injcere ausi.

Nullus ordo ea tabe intactus: nec virilia tantum portenta. Mulieres turbandis rebus adscitæ, aut vltrò oblatæ. procax genus, & potentiæ auidum, naturæ vitio & longa aulæ assuetudine, miscere, cretus edoctum. Occulti amores, professa odia aut blanditijs velata · lactatio, spes, minæ, & supra sexus calliditatem, mille dolj, & ambages, ac viris quoque horribiles machinationes, implexę fallacię, antecessura fabulas latrocinia, cuncta in scenę speciem composita, funesti Galliæ ludi, & pudenda Floralia.

Fœdum dictu, fœdum auditu. Ipsi Sacrorum ministri, pastores populorum, eodem œstro abrepti, veluti phanatici, pessimo publico facundi, non vt in templis, sed vt in perdita domo regnantes, profunda ambitione, populum, quem ad obsequium in Deum, ac Regem hortarius, fasque erat, furoris stimulis agitare, ac linguę venalis flabris, & concionum procellis vęcordiam augere, & religionis obtentu ad sacramenti obliuionem impellere, custodes ouium lupi, imperij, diuitiarumque auidi, ac reiunc.

Latus inde funesto exemplo licentia scelerum; quasi rabies ad integros contactu procedens, & proxima quęque corripiens. Clarissimæ vrbes

eadem

eadem luc infectę, excusum obsequium: vbique turbamenta reip. atque exitia, datumque posteris exemplum, ad populum fumet sanguine mercede circumueniendum. Peregrini auri veneno imbutas mens, empta fides, & constuprata, hostile sacramentum, & cupidine libertatis, veterrimum seruitium inductum.

Quodque miserarum omnium maximum, ac miserrimum fuit: ipsa Regia diuulsa, collisi penates, distracta viscera, exemplo furentium, manus suas, ac membra lacerantium: nec fenest palam factum, quam magnum crimen bellis ciuilibus summa virtus esset. Crimen ipsi fortunę erubescendum: hosti dedecorum animoso emptoni duces auctorati, quorum fama magna magis, quam bona: idemque Gallicę rei, ac Romanę fatum, vt grauius semper suam quam alienam experta virtutem, nihil sibi magis, quam se timeret.

Quę sunt insecuta deflere magis possunt, quam defendi. Terror ac minæ pupillo Regi intentatæ: infans maiestas, cui hostes pepercisent, exilium intra Regiam, & relegationem pati, moxque furore ingratam vrbem deserere, sequi furentibus subducere coacta: imperiosis precibus, & contumacia obsequio reditus efflagitatus, donec eo furialis amentia prolaberetur, vt nefaria arma mouere, vallo atque operibus Christi vinctum circunsedere ferro facibus oppugnare auderet.

Ventum esset ad extrema, si in alium dira tempestas incidisset. Res Gallica protrita, ac pessundata foret, nisi exorata terris Numina, maturâ tibi ante annos virtutem, ac festinatis incrementis consilij vim accelerassent, ac virile robur incipienti ætati indulsissent. Nisi tum, cum classis spoliata magistro fluitaret, clauo successisses intrepidus, ac puerili manu gubernacula torquens, eiusdem magistri, cuius in alienas terras expulsi fides, & constantia nunquam contremuit, veluti præsentis consilio perituram ratem nocturnis in vndis rexisses, ac demum portum fortitei occupasses. Illico fugati nimbi, turbines, ac procellæ discussæ, ac prope suprema nox depulsa furialis seditio compressa, ciuile bellum salute patriæ extinctum, impiorum dogmatum venena disiecta, expulsa, exterminata. Quique vincendo virum præstiteras, victis, salutem largiendo, teneræ ætatis mollissimos affectus derexisti.

Quod si prouentu scelerum, totque cladibus, & calamitatibus excelsam hanc indolem, pectusque generoso honesto incoctum probare Dij immortales, virtutique, & clementiæ præsternere campum voluerunt. Si magno inusitata felicitas constat, si sola hæc ratio erat, qua Galliæ salus sanciretur, prope est, vt exclamem.

Iam nihil a superi querimur, scelera ipsa, nefasque
Hac mercede placent.

Ista quidem ego leuiter perstrinxi. Video enim

te qua

te qua pietate es, obliuionem illius victoriæ malle, quàm gloriam. Quippe ciuili dissensione, vt vinci miserum, ita vincere luctuosum semper fuit, cum quidquid ex vtraque parte perit, Regi pereat. Ergo vix dum misero illo furore sopito, iræ ciuiles in hostem versæ. Ecce primus nascentis imperij dies, Anghiam Gallici Martis ductu, te tuos præbente duces, florentissima victoria inauguratus est: eo conspectior, quo maior hostium numerus, & summa loci iniquitate prope deplorata. Pulcherrimum victoriarum tuarum omen, parentis eadem die terris ereptu manibus inferiæ datæ: vt inter ferales cupressus enascens laurea, illius finiret, tuum auspicaretur Imperium, curruique triumphalis illi pheretrum esset, tibi solium.

Bella deinceps, ac prælia, non modò vltra spem gerendi, sed vltra gestu fidem, operaque effectu maiora, quàm voto. Constanti victoriarum tenore, nec vsquam hæsitante fortuna, ingentes hostium copiæ profligatæ, validissimæ vrbes, ac munitissimæ arces, aut vi expugnatæ, aut terrore nominis ad deditionem compulsæ: nulla fere Orbis pars signis tuis impervia. Lucet Belgium Gallicis trophæis. Diuodurum, Gesoriacum, Armentarium, Orgiacum, Astenacum, Cortracum, Dunchetca fortitudinis, ac felicitatis tuæ monumenta numerantur. Philisburgum, Rhoda, Balaguerium, Plombinum, Ilua,

solatia

solaria fatitulerunt, quod a te sint triumphatæ.

Et hæc incipientis virtutis documenta sunt, & victoriarum præludia : magna illa quidem excelsa, in omne ævum mira, Sed quæ communicantur cum multis, in quorum partem Tribuni, ac Centuriones, Præfecti veniunt, & Legati: ex quibus non exiguam partem illa rerum omnium, sed præcipue belli domina fortuna sibi vendicat, & decerpit. Confecti belli laus tota tua est. Diuina, atque immortalis animi moderatio qui bellicis laudibus innutritus, & tot ubique victoriis, ac triumphis, rebusque supra vota fluentibus, pacis studium prætuleris, animisque effeceris, vt fera munera militiæ, per maria, & terras omnes sopita quiescerent. Cuibus otium Galliæ tranquillitatem, hostibus salutem inspe rato largitus sis. Compressisque Iani clausis pacales oleas victrici Lauro miscueris, ob ciues seruatos & hostes, nouum coronæ genus promeritus.

Hostes enim fide magis, & iustitia, quàm armis superare, pulcherrimum victoriæ genus est : victoriaque manus censendum, victoriæ modum imponere : compescere iram, cohibere dolorem, victoriæ dulcedinem abrumpere, gladijs iugulo hærentibus imperare, scilicet serpsum ac fortunam vincere, omnes adoreas, & triumphos excellit, veraque & incomparabilis inuicti animi sublimitas est.

Si qui-

Si quidem mussi tibi, atque inhonori triumphi, in quos humanum genus impenditur, totque mortalium millia sæpe in vnius libidinem, ac sæuitiam damnata ad gladium funerantur. Quorum triumphorum materia est, armorum rabie concussus Orbis, ferrique potestas ius omne confundens, extructa ossibus campi, infecta cædibus mœnia, subditæ delubris faces, sparsa Numina, aut templorum ruinis contumulata, magnarum vrbium busta, solitudo & vastitas inducta. Si hæc est virtus, quæ Reges immortales facit, sicut olim Cæsares non modo in Capitolium, sed admittebat in Cælum, sciunt omnes, nisi pro æquitate bellandum sit, mallè te millies mori quàm esse exitio quamplurimis.

Ergo belli gloria, quod in ipso nascentis adolescentiæ flore patrasti, pacem terra, marique parta, ac rebus humanis ad tui nutum compositis, patre, atque auo præstantior, tuoque & ciuium voto maior euasisti, per omnia fortunam hominis egressus. Hoc illi voluerunt, qui maximis laboribus, perpetuis contentionibus, ac periculis inter acies, & prælia ætate exacta, tibi cum Imperio, Imperij firmamentum, optatæ magis quàm speratæ pacis laudem reliquerunt. Hæc te auspice, cœlo dimissa animos eorum, qui odijs, vt videbatur, implacabilibus dissidebant, æterno, vt speramus, fœdere coniunxit. Tu, vt pacis fructus constaret,

quietem

quietem & tranquillitatem, quam populis donaueras, tibi inuidisti, & vt Gallia otij dulcedine, bona fide frueretur, vtque omnium dominus priuatorum commodis inseruires, plures, quam in bello labores, acriores contentiones, maiora certamina tibi indixisti.

Adhibenda fomenta, vt pacem ferre possent, qui si foris desit, domi hostem quærunt, ne positis armis, animum retinerent armatum: discordiarum semina elidenda, desueta obsequio corda, animique imagine cædis & sanguinis adhuc truces molliendi: omnia, quę belli clade perculsa, ac prostrata iacebant, excitanda: constituenda iudicia: reparandum ærarium: disciplinæ morum collapsa, seueris legibus vincienda: impietas, & Superum contemptus ferro, atque igne expiandus: peruicax, atque exitialis superstitio radicitus extirpanda.

Prima tibi, ac præcipua post religionis studium ærarij cura, quo vno belli administratio, pacis tutela, ipsa denique maiestas, ac rerum humanarum summa constat. Non quidem, vt illud tot bellorum voracissimis impensis exhaustum priuatis damnis augeres, nouisque indictionibus inauditas exactionum ingeres, gementium populorum lachrimis, ac sanguine suppleres: quo demum, veluti hydrope immodice excrescente, reip. corpus contabescat, necesse est. Sed contraria plane ratione, ac solerti pietatis inuento, tributi

laxamento

laxamento,& vectigalium imminutione creſceret; Galliaque bello,ſoluta alendi belli neceſſitate leuaretur, ne hoſtilibus damnis, ac rapinis defuncta, domeſtici peculatus præda eſſet.

Itaque tanquam diligens pater familias, ac patrimonij attentus, rationes, quæ non aliter conſtant, quam ſi vni reddantur, inſpicere cæpiſti, & cum Imperio calculum ponere. Erant illæ quidem qua temporum, qua hominum culpa impeditiſſimæ. Quare in ipſos Quæſtores inquirendum fuit, quorum tam benè quàm male facta regnantem premunt: quorundam repentinæ immenſæ diuitiæ: paratus, & cultus vel Principi inuidioſus, popina tributo Galliæ inſtructa, ac totius luxuriæ cumulus eiumpens per omnia, quibus ne regius quidem cenſus ſufficeret: rapaces nundinæ, ærarij calamitas, vernus, hirudines, ac ſpongiæ.

Hos tu theſauris incubantes ex præda clandeſtina euolutos, ita legibus tradidiſti, vt admirabili ſeueritatis, & clementiæ temperamento, ærarij magis, quàm fiſci rationibus conſuleres, ac ne quid in poſterum peccaretur, potius prouideres, quam meritas delictorum pœnas experteres: vt qui ſecari in partes, ac populo in tributum cedere debuerant, in nexum dati, æternum regiæ clementiæ exemplum eſſent.

Maius tibi certamen aduerſus fœneratorum improbitatem, ac fæutiam, eiuſdem ærarij per-

nitiem, ac labem : nisi quod aperta, ac veluti concessa depeculatio erat. Qui non contenti populum, ac plebem improba fœnura trucidare, trientarijs ac bessalibus, interdum iniquioribus vsuris, Regium censum mergebant. Vt voracioni iam fœnoris quàm belli ingluuie, distractis, aut oppignoratis vectigalibus, rerum omnium dominus, circumforaneo ære obrutus, mensarijs tributum pendere, ac seruorum peculia augere in immensum cogeretur. Neque tamen quod alibi interdum fit, nouę tabulæ inductæ, & concussa fides, sed compressa auaritia, certusque fœnebri licentiæ modus constitutus.

Sicut fœnoris pabulum, & præda, luxus, at nepotatio, exemplo magis, quàm legibus coercita: profusi sumptus castigati: insana pereundi, perdendique omnia, dulcedo cohibita. Cum tu præcipuus adstricti moris auctor, vt populum ditares, parsimoniam ignotam aulæ virtutem induceres. Vnde obsequium in Principem, & æmulandi gloria, cunctisque pudor iniectus, ne paratu, & ganeæ priuatam rem abligurirent, cum attenta, at diligens publica procuratio in oculos incurreret.

Quamuis enim inaudita, & propè diuina munificentia, ceteras virtutes tuas tanquam minora sidera præradiet: nec vnquam Regiæ benignitatis fons exaresçat: in bellicæ & togatæ virtutis auctoramentum thesauros quotidie profundens,

vt ini-

vt initium nouæ liberalitatis sit consummatio prioris. Et si nulla tibi maior felicitas videatur quam fecisse felices, diemque tibi periisse putas, quo nullius inopiam subleuaris, animi ingens, largus, magnificus, ipsas quoque spes, & auara vota præuertens, etiam extra regnum quæras, quibus te Regem præstes, nihil periisse tibi ratus, quod in alios contulens, idque vnum te habere prædices, quod donasti.

Longe tamen abest inconsulta, ac prope insana largitio, omnia in omnes sine delectu profundens. Nec beneficia projcis, sed collocas, & ita liberalitatem temperas, vt ærario, quod est populi patrimonium consulas, quod si ambitione, vt ait ille, hauriatur, per scelera, supplendum erit. Tu Imperij reditus computas, ne tibi rapiendum sit, quod largiaris, nec fiscus ciuium spoliarium euadat: sed ex sola frugalitate innocens munificentia excurrat, solaque parsimonia tot sumptibus, tot congiarijs sufficiat.

Iampridem nos vera rerum vocabula amisisse Catonis querela fuit. Nam de alieno largiri liberalitas vocatur, plurimis eripere quod paucos iuuet, generositas dicitur: cum sit beneficiorum vsura, & mutuarum foeneratio. Mœrent populi, atque imperia grauantur, cum quę tuendæ maiestati, & in belli subsidia, gentium defraudantes contulerunt, a fucis consumi, & inter palatij, tineas differri vident. Inuisa ciuibus, noxia

Principibus munificentia, quę regni vires exhaurit, publicas opes attrit, belli, ac pacis neruos succidit. Cum pecunia fama prodigitur: quod que a populo corrasum Princeps temere profundit, tam ipsi perit quam populo, quo paupere, nunquam dives futurus est Princeps.

Nam si prodigentia ęrarium conturbet, nec bellum geri, nec pax constare potest. Militares animos mortis stipendiarios, qui morte quęrunt, vnde possint viuere, nonalia re, quam auro, in ferrum, ac vulnera compuleris, nec nisi præsenti pecunia in officio continueris. Nulla crebrior tumultuandi materia, seditionum omnium fax, & perfidię excusatio ex stipendij defectu. Quoties æra non procedunt, sæua prædandi licentia, ac veluti ius latrocinijs datur: agrorum populatu, sociorum spolijs, & rapinis, sęuior bello pax incumbit.

Malo igitur Regem restricti animi, ac nimię in requirenda diligentię pauci culpent immerito, quam profusum, & largitorem populus execretur. Hinc Ludouicus XII. cuius tu non modo nomen Gallię salutare, sed virtutes, ac diuinum Iusti cognomentum proximè refers, prędicare solebat, nihil debere potius, quam multa largiri sapientem Regem oportere.

Tua hęc in tempore liberalitatis fundus, parsimonia, non tam ęrarij, quàm disciplinę militaris custodia est: quod nullus Regum obse-

quen-

quentiore exercitu vnquàm vsus est, cum ex tot armatorum millibus nemo pretio sanguinis fraudetur, nullius spes differatur, torqueatur necessitas. Sed illico vel lenta nomina expungantur: nullus surdas Quæstorum aures fatiget, ac ducibus conuicium faciat: nulla Centurionum aut Præfectorum, stipendiorum fœnus exercentium, atque Herculaneam partem sibi decerpentium, improba mercatura. Stipes in numerato, promtum auctoramentum, & corrollarij vice repræsentandi celeritas: emeriti commoda, atque in ærarij rationibus cum Rege miles paria faciens. Hinc fit, vt sanguinem, ac spiritum promptus debeat, cui debetur nihil.

Vbi satis prospectum est, ne miles stipendij inopia prædaretur, aut fureret: maior moles superetat, ne idem confecto bello vrbibus vagus, agrisque dispersus, aut otio lasciuiret, aut prædæ cupidine res nouas molientibus furorem commodaret: aut si dimissus foret, in tuta pax domi forisque esset. Itaque admirabili consilio, ac plane salutari extremis Regni finibus per vrbes, atque arces limitaneas dispositus est, & statiuis coercitus, in speciem prouinciarum Rectoribus subiectus, re vera Præfectis obtemperans, non ad Imperium modo tuum, sed nutum intentus, idemque sublatis peccandi illecebris fidus & incorruptus, bello accinctus, nec pace grauis, simul hostilis, atque intestini motus obex, & mora,

quod

quod nunquam antea spe conceptum, nedum opere tentatum fuerat.

Imensios cura, sed arduis ac perplexis molimuris, aduersus togatam militiam, & forensia prælia, quæ licet ingruenta, non vltra verba, atque iras ferunt, ingressique & clamore decertent, per inexplicabiles ambages, & vtiles moras, ac dira patrocinia, alterum Ciuium sanguinem hauriunt, mortales fortunis euertunt, ac lentæ tabis senio victos, ac victores conficiunt. Sera illis pax, aut infida societas, raræ induciæ, pugna sine missione. Iuris specie iura miscentes pragmatici, ac rabulæ, togati vultures, patrimoniorum scopulus, bonorum caries & teredo. Hæc tu remedij desperatione ceteris omissa, ingenti animo ita agressus es, vt plurima in præsentia componeres, & ad pristinum morem reuocaueris, quædam immatura, dum remedia vndique conquiruntur, ne festinatio, aut rigor anceps curationem redderet, distuleris, haud dubia spe breui circa forum futura halcedonia.

Bello ciuili, quod externa omnia concrebat, extincto, belliqne causa sublata, militari licentia compressa, compositis, aut amputatis litium calumnijs, opes defecerant bellorum præda, ac luxum materia: publicè ac priuatim fracta re, aut imminuta. Reddita quidem pax, sed inops, ac sterilis, cunctis belli clade, exhaustis, ac tributi onere languentibus. Captis ac direptis vrbibus, va-

statis

ſtatis agris, clauſo mari, intercepto gentium commercio, ceſſante mercatura, ſilentibus opificijs, ac triſti artium omnium ruſtatio. Quæ alit artes, quęque inde alitur, vaga & egena multitudo, quæſtu vitam tolerans, magis ſine bello, quàm pacis compos, cuius pretium, ac fructus copiæ, atque opulentia.

Eam tu extemplo intexiſti, non reſtitutis modo, ac priſtino nitori redditis artibus, ſed magno pretio illectis, atque euocatis vndique artificum ingenijs, & quod vſquam peregrinum opificij inducto, ne pecuniæ ad exteras, aut hoſtiles gentes transferrentur: aperto quodcunque eſt mari, hoſpitalique littorum omnium adpulſu, refertis exoticarum mercium indicatura officinis vt quod genitum eſſet vſquam, id in Gallia natum videretur.

Maritimæ Societates ex omni genere hominum inſtitutæ, diffuſa in vltimos Orientis, atque Occidentis tractus commercia, eremigatus Oceanus, & cum remotiſſimis gentibus negotiatio inducta: ab alio Sole petitæ merces, aut permutatæ, extremus Orbis Galliæ admotus. Ac ne pecuniæ defectu tanti conatus concíderent, deprompta ex ærario, menſiſque expoſita tricies centenum millium ſumma non modo ſine fœnore in decennium, ſed generoſitatis exemplo, cui comparari non poſſit aliud, vt tu periculà, mariſque fortuita, ac naufragiorum damna præſtares,

& quid-

& quidquid venti, ac tempestates deliquissent, solus lucres. Atque ita illi nullo iacturæ metu, certaque ingentis lucri spe, maioribus animis furenti Oceano se committerent, hiberna maria, atque ignota litora persultarent: tu hoc cataplo, ac planè regia negotiatione, rerum omnium toto Orbe nascentium prouentu Galliam ditares, nominis immortalitatem mercatus.

Porrò exiguum tibi visum est, non Galliæ modo, sed toti Europę pacem dedisse, nisi sartam tectamque vbique pręstares: pręcipuè aduersus publicos hostes, & Christianę rei tutela, quæ tibi incumbit, nominis mensuram impletes. Cuius nobile specimen, non ita pridem editum in Pannonia, omnium oculis atque animis ad huc hęret. Cum Turcicos impetus, atque Ottomanicum furorem efferuescentem in Germaniam, & in ipsa Imperij viscera erumpentem auxiliaribus copijs, ac florentissimi equitatus robore, sed magis nominis fama repressisti, nobilissimę de barbaris victorię præcipua pars atque instrumentum, qua Imperij & Christianæ rei salus stetit. Quæ quantum ea tempestate discrimen adierint, festinata, ac præceps post tantam victoriam, re repugnante pax, pacisque conditiones necessariæ magis, quam honestę, facile testantur.

Cum eodem tempore in diuersa parte terrarum, inuictæ reip. eundem rerum diuinarum,

atque

atque humanarum prædonem infesta signa Latio inferentem ; religionisque & libertatis propugnaculum XX. annorum bello prope subruentem, inaudita virtute & constantia propulsanti , crebra subsidia , armaque & pecuniam submittendo Fortunam tuam commpdares.

Quis autem regum , & principum fœderatorum , a te auxilium frustra imploraut? Quis in se tuam benignitatem claudi sensit ? Quis non opes suas ac salutem in te sitam esse non credidit ? Moguntia, Batauı , ipsaque æmula Brittania totque alij populi , ac liberę ciuitates , quoties sidere tuo recreatæ , quoties sola nominis tui vmbra extremum discrimen depulerunt? Nec periclitantibus modo præsto es , armisque & delecto milite rem tuuas , sed quod præstantius est dissidentes in concordiam redigere adlaboras , tumentes animos placas , & qua precibus , qua auctoritate bella componis , ingentes calamitates auertis , pacis sequester, rerumque arbiter , ac moderator , sine prouocatione ius Regibus dicis , consilij maturitate, ac prope nutu Orbem temperas , ex adytis responsa nutuens reddens, quæ senes admirentur , quorum testata fides , atque euentus quoddam diuinitatis consortium declarat : vt non ita pridem inter Moguntinum , ac Palatinum implacabile dissidium, quam prouide ac feliciter , sed & quam facile compositum est . Cumque externas gen-

auctoramentum petendi dulcedo; & leuissimis de causis, interdum nullis, in vulnera, & cædes ruendi amor, & mutui sanguinis rabies, spiritusque Regi, ac patriæ debitus tanquam res superuacua arenæ impensus. Cruentæ animositates, stolida offirmandi roboris ferocia, flagitiosa virtus, & honoris obtentu experimentum infamia notatum. Clarissimarum familiarum funera, & orbitas, absumpta iuuentus, tot bellorum animæ viuentes inferiæ raptæ, ludi funebres, iucundum hostibus spectaculum, plurimis quotidie ad patriæ bustum etogatis, & quibus sors peperterat, carnificem mutuantibus.

Hanc tu Imperij labem, hunc inhumanum morem adeo inueteratum, & contumacem, vt de eo ita cines & exteri crederent, cum semper vetetur, semper in Gallia retentum ir, nescio fortiter magis, an feliciter fistulens. Hoc enim rep. vulnus, hanc vomicam, hoc carcinoma vitalia exedens, non molli, & suspensa manu, sed igne & ferro curare aggressus, ita tamen vt pauci exemplo impensi sint, breuir ita persanasti, vt vix cicatrix, vix vlceris vestigium appareat, nec iam cines ferro inter se, sed fide, atque obsequio cum Rege decertent.

Iam illud vnum, cuius miraculi est, quamtoque a nobis gaudio, quamque ambitiose iactandum? quod studia vbique excitas, ac re-

fouet, virosque doctrinæ fama conspicuos, inexhaustæ liberalitatis radijs perfundis, tantarum rerum claritati tam benignum testimonium miscens. Ingrati profectò simus, ne dicam impij, quicumque musas colimus, si vocem, & calamum ceteris commodantes, immensa tua in omne genus hominum merita tradere famæ aggressi, tuam istam singularem, atque inauditam in literas, earumque cultores munificentiam, sacrasque largitiones silentio prætereamus: & qui cæterorum mortalium nomina, vêtumque hactenus expediumus, in re nostra conturbemur, ac veluti foro cedamus, nec saltem æs ingens, cui soluendo non sumus, profiteamur.

Huc huc igitur quot quot his sacris operamini, ingenium & vota vertite: huc doctarum noctium peruigiles curas, dierum sudores, ac meditamenta conferte: cum linguis omnibus, ac literis celebrate, qui literis senium & squalorem demit, ingenia ab inopia defendit: qui laboribus vestris nominis perennitatem, quam sperare poterat, vltro præstat, & beneficium accipit, quod impartet.

Plerique omnes, quicunque ingenio censemur, vulgus sumus, & siue fato, siue procerum inclementia, in tenui, & angusta re versamur, qui nominis claritatem ceteris aut promittimus, aut pollicemur: quique summa capita ad posteri-

ſterilitatis iudicium vocaturi ſumus, in obſcuro fere fortunas noſtras fingimur, magna pars ſeruientium gregi immixti, aut Academiarum vmbraculis demerſi: quoque literæ interiores, & reconditæ, ſtudiaque operoſiora, inopi magis, ac ſterili labore atterimur, deſpecti & ignorati. Tam vilis ſtudiorum annona habetur.

O prouidam & ingenioſam beneficentiam tuam, cui exerendæ, tam vaſti imperij limites anguſti videntur, extra Gallias quæris, quos liberalitate obnoxios reddas, Orbem ſcrutaris, priuatos lares, Gymnaſia, & Academias excutis, angulos omnes, omne ſecretum rimaris. Eruditos veluti indagine cingis, munificentiæ exercendæ materiam vndique captas, & quos beatos reddas, vltro ambis, ac prenſas. Nihil regiam ſedulitatem effugere poteſt. Latentes extrahis, ſeque ſua virtute inuoluentes produces, ac ditas, ac ne cogitantes quidem inuidioſis congiarijs cumulas, repetita largitione obruis, intercedis inopiæ, nouum fatum præſtas, fatoque maior, id non expectantibus repræſentas, quod a Superis expoſcere audax votum eſſet.

Nam quid ab hominibus ſperandum ſit, immane facinus eſt, atque inuidiæ plenum percenſere. Sed neque melius olim ſe res literaria habuit, aut lætior fortunæ vultus effulſit. Vix enim vnus & alter veſtrorum Regum venire in par-

partem huius gloriæ poterit. Franciscus quidem non huius modo nominis, sed belli, pacisque artibus primus, studiorum claritate nobilior, quàm regno, quod viros doctrina præstantes larga manu fouerit, contraxerit, amplexus sit, literarum parens merito appellatus est. Sed sicuti primus, ita fortasse postremus fuit. Nisi quod auus tuus, ille perpetuus bellator, & castorum contubernio senex factus, diuinique parens studia non inter postremas Imperij curas retulerunt. Sed quantula demum horum gloria, si cum tua comparetur? Nam fuerunt qui literas respicerent, & isthic, & alibi admodum pauci: qui illis effusissimo studio indulserit, produxerit, auxerit, nullumque impendij genus dignius existimauerit, quam quod in literas erogatur, & quicquid vbique doctorum est, demeruerit, intruxerit, locupletauerit, atque extremum Orbem beneficijs Galliæ iunxerit, & ad bene sperandum signum omnibus sustulerit, præter te nullus ad hanc diem repertus est, nullum retroacta ætas exemplum, nullum æmulum posteritas habitura est.

Operæ pretium est audire, qui omnia præ diuitijs humana spernunt, neque literis vllum locum, neque virtuti putant esse, sed ingeniorum tortores habentur: quantum dignationem amplissimis muneribus addidens & quibus verbis eorum pretium auxeris. Nam quod supra

omne

omne munus, ac vorum est, cum priuatos, atque vmbraticos homines, quos ornandos, ditandosque susceperas, regijs diplomatis compellares, & sacris apicibus dignareris, ea te causa munificum professus es, vt ingeniorum, ac literarum messis vbique lætior efflorescceret, eam porrò tibi inter Imperij curas summam, ac præcipuam, nec aliud magis cordi esse adscripsisti. O sententiam non Delphicis foribus, sed omnium mentibus inscribendam! Ita ne Regum optime, & iucundissime, literæ ac disciplinæ, in ista fortunæ mole, in ista verenda Regibus maiestate suprema tibi cura est? Quas ne inter curas quidem reguantum plerique habendas putant. Non multum solliciti, quid de illis literæ olim sint locuturæ, si modò loquentur villæ. Tu literis de te semper prædicaturis, vitam dedisti, absque earum beneficio æternum victurus. Tu cum literis parturis Imperium, tu illis purpuram circumponens a fortunæ iniurijs defendis, tu seculi pudorem absoluis, tu studia consecrasti. Ingens Ludouice & par decus tuum siue fecerint istud postea Principes, siue non fecerint.

Sed literarum comites, atque administræ, quibus secunda sors cessit, dare famam rebus, ac memoriam, Pictura, & Statuaria, & Architectonice, tibi spiritum, ac vitam debent, quæ fato functis vitam per spirantia simulachra reddunt,

dunt, & cum literis ipsis de perennitate decertant. Nam sicut literæ animorum effigiem, morumque lineamenta in æuum prorogant: istę corporum figuras intercidere non patiuntur, mutoque opere, ac surdo artificio hominum formas, & aspectus posteris narrant.

Verum postquam, te auspice & largitore excultæ, atque instauratæ fastigium attigerunt, ac vetera penicilli, cœlique miracula renouarunt: quoties aliquid te dignum, concipere, ac mõliri ausæ sunt, multum sibi ad summum deesse intelligunt. Concidunt illico manus, & in ipso conatu deficiunt, nec minus improbum, ac prophanum votum esse fatentur, sacros vultus tuos populis inhiantibus reddere, quam Deum imagines mortalibus materijs in species hominum effingere.

Scilicet facies ista toto Orbe secunda, extremus naturæ sibi indulgentis conatus. Hæc cœlo delibata species, & illud quo semel viso nonvltra oculis opus est: iuuentæ lumen, frontis honos, lacteæ ceruicis iusta cæsaries, dulces oculorum minæ, os denique, quale habuisse Iouem Phidias credidit, quamuis coloribus spiret, auro irradiet, æri pretium, ebori decus addat, candore marmor extinguat, nitore gemmas obscuret, tam fortuna sua, quam materia omni, atque artificio maius, omnibus simulacris emendatius est, opificum manus, spectantium

tium oculos maiestate dejcit, nec satis vnquam effingi, aut simile reddi potest, cum nihil simile terrarum terris spectetur, & vigeat.

Sed quæ species, qui decor immortalis, quod lumen animi illius, qui pulcherrimum istud hospitium meatus est, ac velut templum insedit? Quæ sensus, quod agmen, qui concentus virtutum omnium, non earum modo quæ cæteris regnantibus communes, sed quæ te vulgo Principum exemptum proprius cœlo adstituunt? Vt quod olim de Cæsarum optimo dictum est, dete verius prædicari possit. Fingentibus nobis, ac formantibus Principem, nunquam voto saltem tibi similem concipere succurrit.

Religionis cultus, non in speciem, & quæ tum dominationi expediat, nec prauæ cupidini alieni occupandi obtentus: sed eradicato vbique peregrinæ superstitionis aconito, ac funditus auulsis impietatis fibris, talis in Deum, qualis in te ciuem, qualis Ecclesiæ primogenium decet, cuius fronti Christianæ rei summa, augustum nomen cœlesti Chrysmate impressit. IVSTI titulum prælaturæ, nisi religio occupasset.

Pietas, & veneratio in Augustam parentem, in fratrē, alterum Galliæ sidus, in thori, sceptrique sociam tenerrimus affectus, in regiam stirpem indulgentia, & quoddam beneuolentiæ certamen. Rex populo immixtus, sola virtute, & benefaciendi potestate eminens, non satellitio, sed pu-

blici amoris ex cubiculo septus, ad vnum timens, ne timeatur, securus magnitudinis suæ. Facilis aditus, obuia comitas. Non duræ fores, ac superba limina: nullæ latebræ, ac fugientis ablæ recessus: intimum Regiæ penetrale, & celsioris fortunæ sacrarium. Capitolina cella, tam patens, quam animus, Nullius vnquam Principis reuerentius secretum, non ipsa templorum adyta, ac puluinaria. Nam sicut auum clementia, qua ille Reges omnes anteuit, regenerasti, ita continentia patruissas, & quantum ab Henrici licentia, quod vnum ille excusandum habuit, recedis, thori sanctitate parentem superas: securæ nurus, intacta connubia, vni matritus, omnium parens.

Cetera vix fidem inuenirent, nisi in oculis omnium, in ore famæ versarentur, ac venerantium gaudijs celebrarentur vbique. Mens ista cœlestis tantæ moli infusa, inrequieto meatu publicæ saluti perpetim excubans, vigor, ac sublimitas, quod olim de Cæsare dictum est, omnium capax, quæ cœlo continentur, quamuis compositum Imperium infatigabili motu gubernans, & vt ille mundi oculus, omnia mouens, omnia audiens, consilijs, atque operibus Orbem fatigans: pectus inconcussum omnique affectione, aut intactum, aut maius: futuri prouisus, & consilij præstantia in iuuene, quæ senibus miraculo sit: animus eam sui potens, quàm Imperij: non infra seruos ingenium: nec pau-

cis

eis obnoxius, imperaturus omnibus.

Imperij opes liberalius erogatę quo innocentius cumulatæ: Regię ſubſtructionum moles, arceſque, & munimenta paſſim excitata: principalis fortunæ paratus & cultus pluſquam Regius: omnis generis ſpectacula, tuque maius ſpectaculum, voluptatibus vulgi immixtus, conuiuia, ludi, commeſſationes, choreæ, pernigilia aulæ vultus perpetuo rendens, exculta publicis operibus Gallia, nouiſque ſubuectionum & uectionum compendijs, atque opportunitatibus locupletata, magnanimitatis exemplo, cui comparari cuncta non queant: quoque ipſi naturæ impetitatum eſt. Cum incredibili auſu, duo maria Oceanum, ac Mediteraneum vaſtiſſimo Iſthmo inter Volcas & Aquitaniam perfoſſo, nauigabili commercio miſcuiſti. illuſtriore tanti operis fama, quanto in minore Iſthmo perforando magnorum Regum, & Cæſarum infelix conatus, atque irrita ſpes ſemper fuit.

Hæc quis mente concipere, nedum verbis eloqui audeat? Quæ licet maxima ſint, atque incredibilia, iuuentæ auſpicia & immortalis gloriæ rudimenta ſunt. Nam ſi triumphos computemus, non annos, tu quidem grandæuus, & tam vitę quàm laudis emeritus. Sed qui æternę famæ metas tranſcendiſti, pene carceribus hæres, certè mediæ vitæ ſpatium nondum attigiſti. Ætas tantis rebus immatura, atque Imperatoriæ indolis

dolis flos, non plane pubescens futuri spe blanditur: & cum nihil operibus tuis addi posse videatur, virtutis incrementa quotidie miramur, longeque maiora publica expectatio concepere audet. Interim vota nuncupat, & in vno vota omnia continget. Quippe ad huc in limine victoriarum stas, cum proxima quæque instrumentum sequentis sit: & cum vtramque Solis domum meritis impleueris, ampliora adhuc debes. Nouæ tibi laureæ quotidie germinant, noua trophæa vestigijs tuis succrescunt. Immensum scriptoribus aperitur opus, sollicita posterioritatis cura intenditur. In his desudabunt historiæ, annalium fides laborabit, atque inde scribendi exordium sument, vbi nos dicendi finem ponimus, cum tu de humano genere bene merendi finem facere nescias. Noua subinde dicturos ante vitæ quàm argumentum deficiet.

D I X I.

Z
1042 4